

& propter infinitam suam perfectionem Voluntas ejus ab Intellectûs sui dictatis dissentire non potest.

His tandem peractis facile est ostendere, quomodo Leges Naturales sic definitæ vim habeant imperandi, vetandi, permittendi, & nec difficile est definitionem nostram cum illis quæ apud probatissimos Authores reperiuntur, per commo-  
dam ambiguum verborum, quibus usi sunt, interpretationem conciliandi. Verùm hæc Lectorum curæ relinquere visum est.

## CAPUT VI.

### *De iis quæ in Lege Naturæ generaliter continentur.*

#### §. I.

**S**Tabilito in præcedentibus universali præcepto de prosecutione Boni Communis, necessarium videtur in iis quæ sequuntur, explicare; (1) Quænam illa sint quæ intra ambitum Boni Communis complectimur? (2) Quænam actiones ullatenus pertinent ad ejus prosecutionem, atque adeò hæc lege quadatenus dirigantur?

De priorè hæc tantum breviter hîc dicenda veniunt, & iis quæ in capite *de Bono* diximus adjicienda. Quoniam Systematis illius, cujus bonum hîc præcipuè spectamus, partes sunt Deus & homines; sequitur ea omnia huc pertinere, quæ in Dei honore seu gloria, & hominum fœlicitate integra continentur, aut quæcunque eorum mentes & corpora perficiunt. Præterea quoniam aggre-

gre-